

28

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS CHEMICO-MEDICA
DE
ANTIMONIO
VARIISQVE EIVS TINCTVRIS
CVM ALCALINIS MENSTRVIS FACTIS

^{QVAM}
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
^{ET}
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAE^SIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BUCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. H. T. DECANO, SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAE^SIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIAVVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

D. XVIII. APRIL. A. R. S. C¹⁷⁶⁷CC LXVII.

PVBLICO SISTET EXAMINI

DIETHELMVS LAVATTERVS
THVRICENSIS HELVETVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.

СИМЕОНОВСКИЙ СПАСАНИЯ

ОАКОИ ТИХ

СИМЕОНОВСКИЙ СПАСАНИЯ



СИМЕОНОВСКИЙ СПАСАНИЯ

СИМЕОНОВСКИЙ СПАСАНИЯ

СИМЕОНОВСКИЙ СПАСАНИЯ

СИМЕОНОВСКИЙ СПАСАНИЯ

СИМЕОНОВСКИЙ СПАСАНИЯ

MYDII
VIRO
MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO
CHRISTIANO GOTTLIEB
LVDWIG

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO
IN ACADEMIA LIPSIENSI THERAPIAE PROF. PVBL. ORDINAR.
ORDINIS MEDICORVM DECANO PERPETVO
ACADEMIAE DECEMVIRO
COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM H. T. PRAEPOSITO
COLLEGII BEATAE MARIAE VIRGINIS SODALI
ACADEMIAE REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM
SOCIETATISQUE BOTANICAE FLORENTINAE SOCIO
ET SOCIETATIS TEVTONICAE LIPSIENSIS SENIORI,

FAVTORI ET PRAECEPTORI
OMNI OBSERVANTIA ET PIETATIS CVLTV
DEVENERANDO,

EXILE HOC SPECIMEN ACADEMICVM
IN LIBRARIIS MAGNIS
PUBLICVM
VENERATIONIS OBSERVANTIAE GRATIQLVE
ANIMI DOCUMENTVM
EA QVA FAS EST ANIMI SUBMISSIONE
PIAQVE MENTE
HUMANISSIME CONSECRAT
TANTI NOMINIS

Halae, d. XVI. April.
MDCCCLXVII.

CVLTOR PERPETVVS
DIETHELMVS LAVATTERVS,
THVRICENSIS HELVETVS.



§. I.
Instituti ratio.



edicamenta, tanquam instrumenta morbos profligantia, Medicum cognoscere oportere, neminem in dubium vocaturum fore putamus. Vires autem medicamentorum propriae, constantes, ipsisque insitae, vix ex suis effectibus, in corpore animali sese exserentibus, qui pro diuersa indole, & constitutione aegri, quoque diuersi sunt, satis rite possunt determinari; quam ob causam chemica arte eorum naturam inuestigandi, ex eorumque mixtionis ratione vires primarias detegendi, non ultimum Medici officium esse, existimamus; & licet, ut saepissime fieri solet, subtilissimae corporum mixtiones non satis perspici, & inde non nisi hypothetice, vix aliquid certi ad effectus in corpore animali concludi possit, tamen ad minimum disquirere debet, in quanam parte constitutiva vires corporis cuiusdam lateant,

A 3

quo

quo non solum varia pharmaceutica remedia parare queat, quae dum partes actiuae ab inertibus separantur, quoque efficaciora, & non raro aegro magis grata euadunt, sed quo etiam dijudicare possit, an haec pars constitutiva, vires continens, suo subiecto conueniat? Nam rite formata indicacione, etiam conueniens eligere indicatum, omnino necesse est. Quantus e. gr. est numerus remediorum resoluentium? sed quantum a se inuicem differunt? in illo haec vis in substantia salina, & quam diversa est haec? in alio in oleosa aetherea, vel resinosa, gummosa, mucilaginea, saponacea, aliae later, quae non promiscue, sed pro varietate materiae morbosae, & constitutionis aegri, mox haec, mox illa sunt exhibenda. Cum autem disquisitionis chemica ad simplicium medicamentorum cognitionem tam necessaria sit, ea multo magis ad composita dijudicanda requiritur, quo non solum sciat, qualia contineant simplicia, sed etiam quo modo ea in sua compositione sint mutata, quo ad mutatas quoque concludere possit vires. Perspecta hac necessitate disquisitionis medicamentorum chemicae, ex eorum insigni copia, quibus prouida natura generi humano tam largiter prospexit, *Antimonium* elegimus, & de eo, ac principie de quibusdam *Tincturis alcalinis* ex eo parandis, dicere constituimus; non quidem eo animo, ut quae forsitan de hac materia ab aliis neglecta, vel minus accurate proposta viderentur, addere atque supplere nobis sumferimus, potius imbecillitatem nostrarum virium, in chemicis non diu adhuc versati, nimis cognoscimus, quam ut vana tali spe nostrum pasceremus animum, sed solummodo, quo Specimen listeremus, quod si non nouitare, salutari tamen subiecti effectu fere quodammodo commendaret. Hac autem in re explicantia ita versabimur, ut primo Antimonium ipsum eiusque partes componentes, & singularum earum vires examinemos;

nemus; postea mutationem in earum compositione, & mutatas inde vires perpendamus, quibusdam autem incommodis, ex antimonii crudi vsu facile oriundis, perspectis, & necesseitate praeparationis Tincturarum exinde declarata, tandem eas ipsas, & quidem officinales, perscrutemur, & aliquas correctiores atque praefrantiores subiungamus, omnesque ex earum praeparandi modo, ac earum rursus decompositione, quantum pro breuitate instituti fieri potest, aestimemus, quo cuius rerum suarum gnarus facile perspiciat, quali, & quam in casu eo vtendum sit.

§. II.

Antimonii definitio.

Antequam ad examen antimonii ipsum accedamus, eius definitiōnē, ex notis characteristicis desumtam, praemittere, res postulat. Antimonium crudum a), vel Stibium alias dictum, est corpus metallicum, ponderosum, filamentosum vel striatum, splendens, friabile, subnigri coloris manus inquinantis, (interdum ex hoc colore magis in Chalybi similem vengentis,) saporis odorisque fere nullius, quod facilime liquefit, arque auolat, de quo ex sequentibus patebit, quod sit semi-metallum, sulphure mineralisatum.

§. III.

Partes antimonii constitutiae proximae.

Antimonium ex sulphure minerali, & parte metallica, regulis dicta, constare, his probatur. Si antimonium fundi-

tur,

- a) Non mineram antimonii impuram, sed antimonium venale, quod in vsus medicos impendi solet, intelligendum esse monemus.

De Antimonio variisque eius Tincturis

tur, odor sulphureus oritur, & in obscuro loco, auctiorique igne, flamma coerulea obseruari potest; si antimonio affunditur aqua regia, vel oleum Vitrioli, & rursus abstrahitur, ex residuo sulphur sublimari potest, vel antimonium cum mercurio corrosivo sublimatur in cinnabarim; porro scoriae antimonii, ope limaturaē martis factae, & sic dicta antimonii hepata, fusione vel coctione cum alcali suborta, sulphuris praesentiam superflue demonstrant. Regulina autem pars iam ex aspectu externo antimonii crudi metallico adparet, distinctior autem cognoscitur, si antimonium liquefit, & sulphur ab eo separatur, vel calx, ex eius solutione in acidis facta, addito phlogisto, in regulum mutatur. Harum autem partium proportione vix accurate determinari potest, cum in earum separatione semper aliquid vel destruantur, vel dissipetur; omnes autem Chemici affirmant, regulinam superare sulphuream partem, & MEVDERVS b) ex principiis hydrostaticis probat, milles granis antimonii inesse grana 351. sulphuris, & 649. reguli; imo CRAMERVS c) triplum reguli antimonio inesse affirmat. Perspectis nunc his partibus constitutius proximis, eas ipsas paulo accuratius, & primo quidem cuius naturae illud sulphur sit, an singularis, an communī similis, examinemus.

§. IV.

Disquisitio naturae Sulphuris antimonii.

Varii, sulphur antimonii singularis naturae esse, putarunt, has in primis ob rationes: 1) quod rubicundius sit communi;

b) D. E. P. MEVDERI Analysis antimonii phys. chem. rat. Dresd. & Lips. 1738. pag. 16. §. II.

c) Andreas CRAMER Elem. art. docimasticae, Edit. altera, Lugd. Batav. P. II. Proc. XXXII. p. 136.

muni; 2) quod auri exalter colorem; 3) quod, obseruante
ROTHIO d), in oleo Terebinthinae solutum, post refrigerationem
aliquid deponat, quod in forma spicularum antimonio propri-
arum concrescat; 4) quod minor eius dosis multo efficacior
atque praestantior in medicina sit, quam multo maior sulphur-
is communis. Videamus nunc, an his rationibus singularis
nostris sulphuris natura probari possit? Quod ad primam atti-
nent, ea non in genere ut vera assumi potest, cum varii praes-
tantissimorum Chemicorum, ut HOFFMANNVS e), KVNCKELIVS
f), BOERHAAIVS g), MEVDERVS h), testentur, ex antimonio
se purum, verum, communi simillimum obtinuisse sulphur,
inde colorem illum rubrum non ab eius natura, sed a modo
eius separationis, qua non ab omni substantia metallica libe-
ratur, pendere, patet, & exinde confirmatur, quia sulphur
commune, si ei fluenti pauxillum reguli additur, quoque
magis rubrum euadit. Secunda ratio, ab auri exaltato colo-
re, si cum sulphure antimonii vel antimonio crudo funditur,
erat defumta; huius experimenti veritas quoque cum limita-
tione est assumenda, quando nimirum aurum, ob admixta
metalla, suum colorem amisit, illum iterum acquirit, dum
ope sulphuris admixta destruuntur, non autem quod aliquid

B

ex

d) Gottfr. ROTHENS *Anhang zu seiner Chymie*, Leipz. 1727. Corol-
lar. II. pag. 95.

e) Frid. HOFEMANNI *Diss. de mirabili Sulph. antimon. fixati effi-*
cacia. Hal. 1699.

f) Ioh. KVNCKELII *Laborat. chymic.* Hamburg und Leipz. 1716.
P. III. Cap. I. pag. 190.

g) Herm. BOERHAAVE *Element. Chemiae*, Lugd. Batav. Tom. II.
P. III. Proc. 190.

h) Libro supra citato, pag. 169. & sqq.

10 *De Antimonio variisque eius Tincturis*

ex sulphure antimonii auro accedat. Ex hoc autem nil concludendum est, cum & sulphur commune idem efficiat, & antimonium ipsum ad auri depurationem non eligatur ob eius singulare sulphur, sed quo aurum per regulum antimonii melius se colligere, & fundum petere possit, ne multum perdatur ⁱ⁾. Idem autem praestat antimonium e sulphure vulgaris regeneratum ^{k)}, restante HOFFMANNO. Tertium argumentum, quod ex obseruatione ROTHII adducunt, quoque leti fundamento nititur. Nam si etiam talis crystallisatio sulphuri antimonii propria esset, tamen nimis cito exinde ad singularem eius naturam concludi, putamus, cum non sit determinatum, an hoc sulphur tali modo sit separatum, quod ab omni metallo fuerit liberum. Sed cum & idem phaenomenon de sulphure communi in oleo Terebinthae soluto apud STAHLIVM ^{l)}, BOERHAAVIUM ^{m)}, SPIELMANNVM ⁿ⁾, annotatum inuenimus, plane nihil ex eo probari posse, videmus. Nunc quartum argumentum examinandum adhuc restat. Verum quidem est, sulphur antimonii in minima quoque dosi efficacius esse, quam commune in maiori, sed modus hoc sulphur parandi ponderari debet, quod cum semper, quam diuersis etiam præparationibus id fieri, cum alcali extrahatur, sic in hepar sulphuris mutatur, quod metalla soluere posse constat; inde etiam reguli quandam soluere debet portionem, quod

&

ⁱ⁾ Videantur CRAMER libr. & loc. §. IV. citato, & SPIELMANN Institut. Chem. altera Edit. 1766. Experim. CXVII. p. 310. sqq.

^{l)} In citata Dissertatione.

^{m)} STAHLII Opusc. chym. physic. & Disserr. de Sulphure communi p. 755.

ⁿ⁾ BOERHAAVE Elem. Chem. P. II. Proc. CLVII. p. 431.

ⁿ⁾ SPIELMANNI Institut. Chem. Experim. XV. p. 90.

& reuera ita se habere, ex ipso sulphure antimonii aurato, non solum primae & secundae, sed & tertiae & quartae praecipitationis, ad oculos demonstrari potest, si per se, vel cum burece funditur; porro si sulphuri communi, cum alcali fuso, aliiquid additur reguli, id, ex lixiuio filtrato praecipitatum, eodem fere praebet effectus, ut sulphur antimonii auratum, teste HOFFMANNO o). Licer nunc adducta argumenta destruxerimus, tamen, ad meliorem probationem conuenientiae sulphuris antimonii cum communi, id adhuc addamus, quod, sulphure vulgaris & regulo in vase clauso fusis, verum crudum regeneretur antimonium, & quod sulphur ex cinnabari antimonii separatum, vel id, quod ex antimonio methodo MEVDERI, addito Vitriolo lunae, sublimatur, verum, purum, nullis experimentis a communi diuersum, se praebat, quod cum ita sit, nunc paucis naturam & vires sulphuris vulgaris consideremus.

§. V.

Natura & vires Sulphuris communis.

Sulphur est corpus fossile, in frigore durum, contrendum facile in pollinem, in igne moderato fluens, forma liquefactae cerea, vase clauso totum & immutatum ab igne eleuandum, in igne autem aperto deflagrans cum flamma coerulea, & vapore volatili, animalibus lethali. Quod ex terra inflammabili, & acido Vitrioli purissimo constet, probant eius analysis & synthesis p): acidum autem quantitate multo superat phlogiston, immo in libra una sulphuris vix ultra drachmam unam partis inflammabilis deprehendimus, & reliquum

B 2

omne

o) in Diss. de Regulo antimon. medic. Hal. 1698.

p) Vid. BOERHAAVE Elem. Chem. P. II. Proc. CLX. sqq. & SPIELMANNI Instit. Chem. Experim. XXVII. p. 126.

12 *De Antimonio variisque eius Tincturis*

omne acidum *q*), quod nihilominus, miro certe modo, a pauca illius quantitate ita immutatum est, ut nunc sit corpus solidum, blandum, volatile. Ulterius chemice id disquirere, nostrum nunc non est, sed potius eius vires medicas, pro usu interno, breuiter indicemus, quae ad sequentes reduci possunt, quod nimirum alcalescentem putredinosam acrimoniam corrigit, perspirationem insensibilem promoueat, leniter incidat, atque roboret, indeque in omnibus fere cutaneis morbis, varis rheumaticis, arthriticis, pulmonalibus, nec non in morbis putridis, optimo cum successu (obseruatis obseruandis) exhibetur *r*). Specialiores annotatos casus, in quibus, & cum quibusnam cautelis, eius usum experti sint varii Practici, non adducamus. Cum autem multi de Sulphuris solubilitate in corpore, & inde de eius efficacia dubirent, id adhuc addamus, quod sulphur extra corpus, cum pinguibus, lacticiniis, gelatinosis corporibus, accidente leni calore, iam quoddammodo soluatur; maxima autem ex parte, cum Gummi arabico tritum, in emulsionem verti illud, experti sumus; quare ergo non idem fieri posset in corpore? sed, quod certo id fiat, ex odore sulphureo perspirationis, & nigrescente colore, quem corpora aurea argenteaque, corpori nudo applicata, suscipiunt, nec non ex fecibus olidissimis, post eius usum obseruatis, sufficienter proba-

q) Vid. STAHLII Fundam. Chem. dogmat. & exper. P. III. p. 309.
NEVMANNI Prael. chem. P. V. Cap. XXXII. pag. 1781. & Joh.
Heinr. POTT neuer Anhang zur Lithogeognos. p. 17.

r) Vid. BARCHYSEN Pyrosophia Libr. III. Sect. II. Cap. V. item &
GEOFFROY Materiae medicae Tom. I. Cap. III. p. 178. Edit. PAR-
ISIENS. & Georg. Christoph. BETHARDING Prof. Rostoch. elegan-
tem Dissertat. de Sulphure ut praestantissimo bezoardico. 1746.
CRANZ Materiae medicae Institut. Edit. altera, Viennae 1765.
Tom. II. p. 139, sq.

probatur: qui autem hypotheticas Sulphuris virium explicaciones desiderat, adeat BARCHUSEN, & DETHARPINGIVM^{s)}.

§. VI.

Reguli antimonii disquisitio.

Altera antimonii pars, Regulus nimirum, est semi metal-
lum, quod nunquam purum natuum inuenitur^{t)}, suae indolis,
constans ex terra vitrescibili & phlogisto. Nam calx antimo-
nii, humida aut secca via facta, si funditur, in vitrum hyacin-
thini coloris, & si ei fuso additur phlogiston, rursus in metal-
lum mutatur. De aliis principiis, quae in regulo assumunt va-
rii Chemici, pauca adhuc dicamus. Primo ex regulo antimo-
nii mercurius viuus quidem parari potest, ut BASILIVS VALEN-
TINVS^{u)}, HOFFMANNVS^{w)}, BECCHERV^{x)}, KVNCHELIVS^{y)},
docent, tamen non putamus, quod verus mercurius in re-
gulo haereat, sed quod principium mercuriale illi insit, & per
falia adhibenda in mercurium mutetur, concedimus. Se-
cundo omnes fere Adepti in regulo antimonii quaerebant sul-
phur purum, fixum solare, a quo omnem perfectionem cor-
porum dependere putabant, quod autem, non solum respectu
attributorum, sed & veri Sulphuris existentiae, multi quoque
reliuiunt, & imprimis KVNCHELIVS^{z)}, de omni Sulphure me-

B 3

tallo-

^{s)} Locis citatis.

^{t)} VOGEL *Practisches Mineral-System*. Leipzig. 1762. p. 495.

^{u)} Currus triumphal. Antimon. cum Commentar. KERCKRINGI^{z)},
Amstelod. 1671. p. 248.

^{w)} Dissert. de Cinnab. Antimon. Ienae 1681.

^{x)} Physic. subterraneae Libr. I. Sect. V. Cap. III.

^{y)} Laborator. chymic. p. 473. sqq.

^{z)} Ibid. p. 193. sqq.

tallorum dicit, quod sit non-ens; nos vero desuper cum eo consentire non possumus, cum ex omnibus metallorum calcibus, humida via factis, cum mercurio, cinnabaris sublimari possit, aliisque modis extrahi, quibus non de novo generari potest a). Et ex purissimo regulo, immo ex vitro, ope aceri sulphur extrahitur b); illud autem non ut singulare, sed vulgari simile, nisi forsitan subtilius sulphur, aestimandum est. Tertio de principio reguli, nempe de arsenicali, si dicendum quod res est, eius praesentia nobis valde probabilis videtur, cum I) regulus fere similes praebat effectus destructorios, ac arsenicum; II) omnia priuet metalla sua ductilitate, quod & arsenicum facit; III) vitrum Saturni, addito arsenico euadat colore & vi emetica vitro antimonii non multum dissimile; IV) quoniam sulphur antimonii, quod non ab omni regulo liberatum, communis magis rubrum est, sulphur commune autem addito arsenico quoque magis rubrum euadit, ex quibus adparer, magnam esse analogiam inter regulum & arsenicum, quam ex conuenientia partium eorum constituentium deducendam putamus c). His nunc paululum disquisitis, breuissime Reguli antimonii vires perpendamus.

§. VII.

Vires Reguli antimonii.

Regulus antimonii, sub quanam forma quoque ille appareat, vel in vitro, vel floribus per se, aut cum sale ammoniaco factis cet. in minima quoque dosi assumentus, grauissimos exci-

a) POTTI Dissert. de Sulphure metallor. Praef. Hoffm. Hal. 1716

b) Basil. VALENTINI Curr. triumph. Antimon. p. 149. sqq.

c) Plura legantur apud STAHLIVM Opusc. chem. physic. medic. p. 491. sq.

excitat vomitus, cardialgias, inflammations, erosiones, & quae exinde sequuntur grauissima symptomata, ita, vt nisi vario modo mitigetur, aut mutetur, in usus medicos non impendi debat. An vero hi effectus ab arsenicali pendeant principio? an a spiculis, quae celeberr. HVXHAM d) etiam in vino emeticco, per microscopia obseruauit? non certe determinamus, licet haec ultima sententia ideo verisimilis nobis videatur, cum regulus ab omni suo phlogisto liberatus, & sua striata figura destitutus, non amplius nocivus sit, addito autem denuo phlogisto, pristinam figuram, pristinasque rursus acquirat vires. Vnde autem haec striata figura? non a phlogisto, alias omnia alia metalla eam habere deberent; nonne forsitan ab arsenicali principio, calci antimonii adhuc adherente, dependet? & solummodo ita formatur, si pars inflammabilis ei accedit? Cum vero hoc usque naturam, & vires partium constituentium antimonii perpenderimus, nunc dispiciamus, quo modo mutentur, si combinantur.

§. VIII.

Reguli mutatio per Sulphur consideratur.

Sulphur fere omnia metalla mineralisare, i. e. ex suo nexu ponere, aliamque iis tribuere formam, & quando illa viribus medicatis praedita fuerint, eas quoque immutare, res est certissima. Sic e. gr. mercurius, metallum illud fluidum, argentei coloris, quod in corpore humano tantas resoluendi, nec non salivationem excitandi vires exserit, (quas a sua gravitate specifica, diuisibilitate, & globulosa figura pendere putamus,) si cum Sulphure miscetur, & sublimatur, in corpus solidum,

d) Vid. eius Opera phys. chemica, Tom. III. Tract. de Antimo-
nio, Lips. 1764.

lidum, rubrum saliniforme, in Cinnabarim mutatur, quae si non in totum, tamen quoad maximam partem, vim resoluentem, effectum vero saliuatorium prorsus fere amisit. Arsenicum, apertum illud venenum, cum sulphure anatica portione rite mixtum, nisi, secundum sententiam HOFFMANNI^e), plane innoxium, tamen multo minus efficax redditur; sic & regulus sulphure mineralisatus, non solum innoxius, sed optimum fit medicamentum. Sulphur autem horum mineralium vires vix ex alia causa tam valde immutat, quam quod primo ea ex suo ponat nexus, & secundo, quod eorum immutet figuram (nam vix vera turbata mixtio est assumenda, cum sulphur satis facile rursus separari possit). Sic in antimonio spicula ex sua ponuntur concentratione, & sulphure quadammodo quasi obtunduntur & involvuntur f).

§. IX.

Vires Antimonii generaliores.

Antimonium crudum, ab antiquioribus Medicis in- & externe usurpatum, paulo post autem rursus neglectum fuit, & licet Basilius VALENTINVS illud iterum in lucem produxerit, & varia eius praeparata ad usum medicos tam altis extulerit laudibus, & post eum Theopbr. PARACELSVS non minus antimonium ipsum quoque laudauerit, tamen Galenicorum remediorum fautores rem eo deduxerunt, vt eius usus medicus, nec non remediorum exinde praeparatorum, in tota Gallia sub capitali poena prohibitus fuerit, quod eo facilius obtinere potuerunt, quo maiores virtutes PARACELSVS g) pro more suo,

e) Frid. HOFFMANNI Oper. phys. med. Tom. IV. Libr. III. p. 5^{TO}, Geneuae 1740.

f) in Tract. de Vita longa, cap. VI.

suo, magis hypothesis chemicis, quam experientia fundatas, antimonio attribuerat; non obstante autem hac interdictione, veri Chemiae aestimatores eius usum continuarunt, & tanti inde orti sunt salutares effectus, ut tandem ann. 1665. eius usus a Facultate Medica rursus concederetur; postea KVNCKELII obseruationes medicae, de Antimonio crudo, id extra omnem dubitationem ponebant, & inter optima medicamenta referendum esse confirmabant. Sed nunc eius vires, ex partibus suis constituentibus, paulo vberius declaremus. Sulphur in antimonio, licet regulo sit coniunctum, tamen in sua non mutatum est natura, quare easdem quoque retinet vires, in §. V. recensitas; & regulina pars, licet ex sua concentratione sit posita, & quodammodo sulphure obuoluta, tamen adhuc suam aequem mixtionem, ac figuram spicularem, retinuit, inde vim stimulantem non amisit, sed solummodo mitigatam & innoxiam nunc habet; quas ob caussas ab antimonio crudo eadem, sed solummodo auctiores vires, quam a sulphure, in resoluendo viscido, & depurandis humoribus, exspectantur. Antequam autem ad experientiam ipsam prouocamus, videamus, an antimonium in corpore nostro solui possit? de qua re nulli dubitamus, solutionemque nisi plenariam, tamen ex parte fieri autumamus, dum aqua, cum antimonio cocta, ab eo nonnullas iam acquirit vires, licet concedamus, si aqua purissima, ab omni principio acido & viscoso libera esset, hoc non evenire. Decoctum autem mucilaginosum, farinaceum, subtiliores antimonii partes suscipit, susceptrasque tenet; immo, & sine igne talem & perfectiorem solutionem fieri, perspexit, si antimonium in puluerem redactum cum Gummi arabico bene longeque teritur, sensimque affunditur aqua, & trituratio continuatur eo usque, donec omne Gummi fuerit solutum; liquore lente defuso, antimonio, si quid relictum est,

C

noua

noua Gummi arabici portio additur, similique modo proceditur, sic tandem fere omne antimonium soluitur, ita ut liquor nigrescens filtrum transierit, & per plures septimanas sine mutatione permaneatur. Cur ergo non & similem solutionem in nostro corpore expectemus? cum nostri humores quoque sint viscosi, glutinosi, & iisdem adhuc accedat calor & motus intestinalis continuatus. Nunc generaliores antimonii vires, per experientiam confirmatas, adhuc adducamus, quae sunt, quod in primis viis leniter stimulando agat, motum peristalticum augeat, viscidum resoluat, aluumque moueat, interdum quoque, pro diuersitate sensibilitatis & idiosyncrasiae aegri, vomitum excitet, qui autem effectus illi non proprius est, insuper in secundis & terciis viis suam quoque exserat vim resoluentem, vitia lymphae corrigat, & ita varias cacockymias tollat, & ex corpore proscribat, nullamque debilitatem relinquit, sed potius tonum augeat, qui forsitan a stimulo, fibras magis ad contractionem follicitante, vel a terra subtilissima in interstitia fibrarum se insinuante, pendet, quam ob caussam Veteres illud ad exsiccanda ylceras, & ad collyria cet. adhibuerunt.

§. X.

Vires Antimonii specialioribus exemplis illustrantur.

Ex his antimonii viribus declaratis, perspici potest, quare in tot chronicis morbis tam praefans sit medicamentum? Omnes enim Medici practici usum antimonii in omnibus fere morbis cutaneis, scabie, lepra, elephantiasi, tinea capitisi, aliisque ylceribus, nec non in morbis venereis, rheumaticis, arthriticisque, una voce laudant. Et Magnificus LUDWIGIVS, Praeceptor noster summe venerandus, in Collegio clinico quamplurima nobis enarrauit exempla morborum diuersissimorum, a lym-

a lymphae virtus imprimis dependentium, per antimonii crudum usum curatorum. Sic quoque in tabidis, emaciatis, hectica gallica iam corruptis, antimonio, cum decocto Sarsaparillae, bono cum effectu vni sunt, *BAGLIVIVS* *g*), *HOFFMANNVS* *b*), & idem eius usum quoque laudat in iis, qui atrophia laborant. In glandulis obstructis, & tumoribus, aethiopem antimoniam multo efficaciem inuenit *HVXHAM* *i*), nec minus adnotata sunt exempla febrium intermittentium, immo quartanarum, & morborum conuulsuorum, epilepticorum, nec non hydropicorum & saturninorum, per antimonium bene curatorum *k*). Quando autem, & sub quibusdam cautelis, in talibus morbis ab antimonio aliquid sit sperandum, ex Therapia generali, & cognitione virium antimonii primariarum, vel generalium, dijudicari debet.

§. XI.

Quaedam incommoda, ex Antimonii crudu usu facile oriunda, & quali modo praecaveantur.

Licet autem antimonium tam praestans sit medicamentum, tamen maxima cum attentione exhiberi debet; nam si acidum in primis viis haeret, regulina pars facile quodammodo

C 2

do

g) Vid. *Praxis medica*, Libr. I. p. 90.

h) Addit. ad *Poterii Opera*, p. 56. cap. 32.

i) Loc. citat.

k) Vid. *HERMANNI Cynosura Mater. medicae*, Part. III. pag. 99. *KVNCKELII Laborat. chemic.* p. 431. sqq. *Ioh. Dan. REISSEISEN* Dissert. de Antim. crud. in medicina viu. Argent. 1761. *MORGENSTERN* de Antim. crudu usu interno. Hal. 1750. *CARL Medicina pauperum*. P. II. pag. 41. *Illustr. BÜCHNERI* Dissert. de optima morbum Saturninum sanandi ratione. Hal. 1748.

do solui, & exinde vehementissimi draftici effectus oriri possunt, & si humores quoque blandi sunt, tamen metuendum est, ne antimonium, quod, etiam in subtilissimum puluerem redactum, semper tamen manet corpus metallicum ponderosum, nimis diu in intestinis retineatur, exinde autem, ob eius continuatam actionem, effectus nimis vehemens fieri queat, vel quoque, assumto vietu acido, post aliquot etiam dierum interuallum magnum oriri damnum, qualia exempla sat multa prostant. Haec quidem incommoda praeparatione aegri, & coniunctis simul cum antimonio terreis, & interpositis euacuantibus, aliisque cautelis obseruatis, quodammodo praecaueri possunt; attamen, cum hae cautelae saepe, ob varias caussas, in multis aegris vix obseruari possint, melius fore puramus, si antimonium solutum, vel ita dispositum in corpus introduceatur, vt nec ab acido, forsitan occulte in primis viis latitante, damnum excitari possit, nec eius mora extimescenda sit, sed quo facilius ad secundas vias illud peruenire posse, certifimus. Licet autem §. IX. dixerimus, decocta farinacea subtilissimas antimonii particulas suscipere, & Gummi arabicum meliorem adhuc solutionem efficere, tamen his modis, si etiam certo respectu nostro scopo satisfacerent, vires eius nimis debilitantur, cum parum antimonii in nimia aquae quantitate sit diffusum. Sic ad scrupuli vnius antimonii solutionem scrupuli quinque Gummi arabici, & mensura vna aquae requirebantur; tantam autem potulent quantitatem aegri admodum mature recusant, & ventriculi debilitas raro permittit. Quare variis modis tentauimus, an antimonium non immutatum ita disponi possit, vt, absque eius virium immunitione, nostra obtineatur intentio. Nullo autem alio modo melius id fieri perspeximus, quam si puluis antimonii cum anatica quantitate Saponis Veneti bene teritur, & cum aqua decoquitur, posteaque filtratur,

&

& filtratus liquor tandem ad consistentiam Saponis rursus inspissatur. Hic Sapo niger, aequalis, nullo modo splendens, qui dimidiā assūmītī antimonii quantitatē continet, certe absque metu exhiberi potest. Quodsi tamen paulo largior, continuatūsque antimonii usus interdūm requiratur, adhuc concentratiōrā medicamenta antimonialia merito desiderantur, quae, licet antimonium mutatum contineant, eius tamen vires possident, quae a sulphure, cum regulinis partibus coniuncto, dependent, & cum inter talia Tincturae sic dictae antimonii alcalinae numerentur, eas adhuc breuiter, & primo quidem officiales, acrem & tartarifatam nimirum, & postea quasdam correctiores, examinare placet.

§. XII.

Tinctura Antimonii acris.

Tinctura antimonii acris oritur, si scoriis antimonii (e reguli & nitri anaticis partibus sub fusione ortis) adhuc calidis in puluerem redactis, Spiritus vini tartarisatus adfunditur, & cum eo digeruntur. Hancce tincturam vix aliquid antimonii continere posse, iam praesumi potest, quia regulus ad eius praeparationem assūmitur, qui admodum parum sulphuris continet, vt inde nitrum, nunc alcalino-causticum factum, minime in verum hepar verti possit, sine quo autem nec partes sulphureae, nec regulinae, in Spiritu vini solubiles sunt. Ut autem cognosceremus, an haecce sententia vera sit, eam variis modis examinauimus, de quibus pauca solum proponeamus, quo natura huius Tincturae melius quodammodo elucescat.

i) Tinctura haec acris, est coloris ruberrimi, quodammodo obscuri, saporis acerrimi caustici; si sali ammoniaco aliquid

22 *De Antimonio variisque eius Tincturis*

affunditur, statim alcali volatile auolat: syrum Violarum obscuro viridem reddit.

- 2) E quinque vnciis Tincturae abstracto spiritu, qui adhuc acris & alcalinus erat, remansit magmatis salino-vnguinosi, ignis ad instar accerrimi, coloris aurantii, vncia dimidia; in Spiritu vini rursus solui potest, & pristina Tinctura prodit, nisi quod color non, vt antea, tam gratus sit ruber. In aqua citius adhuc soluitur, quae inde flava fit, sed maiori aquae quantitate affusa, sensim sensimque in eius superficie colliguuntur flocculi fusi, qui in filtro collecti, fistunt substantiam plane oleosam, quaeflammam quidem concipit, sed ea nec erat coerulea, nec odor percipiebatur sulphureus, sed illi similis, qui a combustione Tarrari crudi oritur, & remanet terra mortua, quae addito phlogisto non mutatur. Aqua ab his flocculis oleofis per filtrum separata, adhuc flava, & sapore Tincturae ipsi proprio erat praedita; leniter euaporata, relinquebat salem causticum cum subtili adhaerente principio oleoso. Magmati, vel Tincturae residuo, si affunditur acidum, nullus odor oritur, & separantur flocculi fusi oleosi. Magma, flammam admotum, spumescit, flammarum non concipit, sed cum odore foetido oleoso nigrescit, tandem calcinatum, erat Sal alcalinus albus, & per saporem & praecipitationem cum acido nil sulphuris elici potuit.
- 3) Si Tinctura accenditur & spiritus per deflagrationem abatus est, remanet simile magma vnguinosum.
- 4) Tinctura cum aceto destillato saturata (quod ex non mutato syrapi Violarum colore factum esse perspeximus), vix perturbatur, nihil autem praecipitatur. Ad Tincturae saturationem decuplum aceti requiritur.

5) Si

5) Si acidum minerale Tincturae nostrae instillatur, statim perturbatur, & quasi condensatur. Ex Tinctura post saturationem sibi relicta, puluis albus, vix flauescens, secedit & fundum petit; supernatans liquor pristinum retinet color rem rubrum; per filtrum a suo puluere separatus, lenique calore euaporatus, relinquit parum salis medii, & substantiam nigrum, tenacem, resinam aemulanten, quae autem, cum in Spiritu vini solummodo ex parte, & in aqua, licet facilius, attamen quoque non tota solvatur, magis substantia resino-gummosa dicenda est. Puluis exsiccatus est salinus tenerrimus, facile solubilis, in sua superficie parum flavus, qui per se, aut cum borace fatus, aliisque modis tenuatus, nullum sulphuris, multo minus reguli vestigium dat. Ex vinciā vna Tincturae scrupulos duos & dimidium huius salis obtinuimus.

6) Residuum Tincturae, quod sponte, praeter lapsis aliquor mensibus, secedit, & vasis lateribus tenaciter adhaeret, est substantia salina, resino-gummosa, ex qua quoque nil antimoniale demonstrari potest.

His experimentis non solum cognoscimus, quod Tinctura antimonii acris nullas partes antimoniales contineat, sed eius naturam atque indeolem exinde quoque perspicimus, quod nimur satis magnam copiem salis alcalino-caustici contineat, qui cum oleosis Spiritus vini partibus arte coniunctus, substantiam resino-gummosam fissit, quare Tinctura aliquam indeolem saponaceam acquirit, & *Tinctura alcalino-caustico-spirituosa* dici meretur. Nostram hancce diudicationem vero rectam esse, confirmatur, cum sine antimonio, cum sale caustico similis, nisi gradu causticitatis diuersa Tinctura obtineri possit;

possit; si ea, quae clariss. MEYERS¹⁾ cum Tinctura salis caustici instituit experimenta, cum nostris comparantur, adparebit, quod Tinctura antimonii acris non nisi gradu ab illa differat.

§. XIII.

Tinctura antimonii tartarisata.

Altera officinalis Tinctura antimonii, *tartarisata* dicta, e scorii, ex antimonii crudi parte vna, & duabus partibus salis tarrari veri, vel ex antimonii crudi, tartari crudi & nitri anaticis partibus factis, supra dicto modo praeparatur. De hac nunc Tinctura, cum antimonium crudum assumatur, & cum sale alcali bene fusum in verum hepar vertatur, suspicari possumus, quod aliquas partes antimoniales continet. Quo autem de hac re certi redderemur, & huius Tincturae differentiam ab antecedente perspicere possemus, eam quoque simili modo examinavimus: ne tamen repetendo fastidiosi simus, solummodo differentias quasdam obseruatas indicabimus.

- 1) Tinctura haec rubri quidem, sed pallidioris est coloris: si recens est, habet odorem gratum, quasi ambrosiacum, saporem satis acrem, attamen quoque multo mitiorem, similem gratum sub-aromaticum.
- 2) Ex vniis quinque Tincturae, abstracto spiritu, remanebat solummodo drachma vna & dimidia magnatis, cuius odor erat grauis, balsamicus, sapor vrens, sed simul amaro-balsamicus. Flocculi, qui super aquam, in qua magma solutum est, coibant, teneriores sunt, & non mere oleosam stant.

¹⁾ Job. Frid. MEYERS, Apotheker zu Osnabrück, oþymische Versuch vom Kalch &c. Hannover und Leipzig. 1764. Cap. XIII. pag. 84. sqq.

stunt substantiam, quae flammam non concipit, sed exsiccata, puluerem relinquit aurantii coloris, qui cum alcali & borace ut verum sulphur antimonii se praebet. Acido magni affuso, leuis putridus odor percipitur, & flammae admotum, cum leuiori odore foetido exsiccatur, & relinquitur sal, qui exiguum sulphuris saporem monstrat.

- 3) Tinctura accensa & Spiritu per deflagrationem abacto, remanet sal aliquantum vnguinosus, quodammodo crystallatus, spiculis tenuissimis, e centro diuergentibus, citrini coloris, cum interspersis striis rubris oleofisis, quae a sale ipso separatae, flammae admotae, eam quidem non concipiunt, sed sulphuris odorem spargunt. Sali ipsi in aqua soluto, si affunditur acidum, odor putridus oritur, & parum pulueris aurantii super liquorem colligitur, qui cum flocculis No. 2. conuenire viderur, ob eius vero exiguitatem ylterius illum examinare non potuimus. Inspissato autem ipso liquore, remanet sal mediocris, qui, flammae admotus, sulphuris praesentiam odore probat, & addito phlogisto fusus, non quidem in verum globulum metallicum mutatur, attamen cuticula metallica quasi obducitur.
- 4) Ad saturationem Tincturae solummodo quintuplum aceti destillati requiritur.
- 5) Sal e Tinctura, cum acido minerali saturata, praecipitatus, flammae admotus, vix sulphuris odore, sed cuticula metallica se ab illo §. praeced. No. 5. descripto distinguit. Ex vñcia vna Tincturae obtinuimus scrupulum vnum.
- 6) Ex residuo Tincturae, quod sponte secedit, & vasis lateribus adhaeret, salemque alcalinum fuisse, si funditur, hepar antimonii oritur, & addito phlogisto verus globulus regulinus ob-

tineri potest. Ex his appareret, quod Tinctura haec antimonii tartarifata quasdam antimoniales partes contineat, (licet parvam earum quantitatem esse concedamus,) & de reliquo eum Tinctura acri conueniat, nisi quod illi multo minor salis caustici quantitas insit, & inde MEVDERVS eam recte *Tincturam hepaticam antimonii salino-spirituosam m)* nominet.

Licet autem harum duarum Tincturarum vires yniuersales vix, nisi gradit, inter se differant, cum vitaque fibram musculararem stimulet, humores naturales & viscidos resoluat, & ad euacuationem, imprimis per diuresin & diaphoresin, disponat, partes aquosas dissipet, indeque siccitatem relinquat, acrimoniam acidam immutet, & ita obstructionibus & cacockymis, a tali causa ortis, medeatitur; tamen in eius usu differentiam quamdam esse faciendam quilibet perspicit, cum in illa haec vires solumente in menstruo, in hac vero simul in solutis antimonii partibus sint positae. Has autem vires admodum imminui, annotandum est, si Tinctura per aliquod tempus, & imprimis in phialis epistomis vitreis non recte clausis, asseruatur; nam subtilissimum sal causticum, a quo sine dubio magna illa vis penetrandi, & in tenerrimis minimisque vasculis resolviendi, quam maxime dependet, quodammodo auolat, & ex illa quaedam oleo-sae vini, in hac vero, praeter illas, quoque antimoniales secedunt partes. Utilitatem autem harum Tincturarum, quam ut menstrua, in variis medicamentis praeparandis, praefstant, silentio plane praeterire non possumus. Maximam enim vim habent, corpora oleosa, balsamica, resinosa soluendi, & ita quoque partes & vires aliorum medicamentorum extraheadi, unde haec vires, pro singulari intentione, exaltari possint. Sic e.g. cum oleo Amygdalar. vel bals. Peruiano coniunctae, magis Iaponar.
ceae

m) Loc. cit. pag. 183.

ceae euadunt, & saepe in morbis pectoris & viarum vrinari-
rum melius conueniunt; si vis stimulans, resoluens, diuretica,
fortior desideratur, cum rad. Pimpinellae aliae simili digeran-
tur; si ad neruorum morbos iis indigere indicatur, tunc vel ca-
storeo, vel oleo Succini, ol. C.C. croco, radici valerianae, aliisque
neruinis, pro re nata affundantur, & digestione eorum vires ex-
trahantur, qualia efficacissima praestantissimaque medicamenta
celeberr. POERNERVS. Praeceptor noster venerandus, varia pre-
scribit ⁿ⁾, & praeparata nobis in suo Collegio pharmaceutico
monstrauit. Plura autem de his Tincturis dicere nolumus, vt
pote quae apud varios alios Auctores legi possunt o). Nunc
adhuc ex multis correctis Tincturis antimonialibus quasdam,
praestantiores nobis vias, paucis examinemus, inter quas nu-
meramus *Tincturam antimonii nigram*, vel *mineralem amar-
am*, *saponatum SCHVLZII & IACOBI*, & tandem *Tincturam*
MANGOLDI.

§. XIV.

Tinctura antimonii nigra.

Tincturae antimonii nigrae primus mentionem fecit W. F.
DIETERICVS, Pharmacopeus Norimbergensis, dum, postquam de
regulo antimonii medicinali locutus est p), quem ex octo anti-
monii partibus, & una parte nitri parare iubet, ita pergit: Si
quis ex bac magnesia opalina, ope nitri fixi, & Spiritus vini
Gallici rectificatissimi, viuis horae spatio, extrahere nouerit

D 2 *Tin-*

ⁿ⁾ Carol. Guil. POERNER, M. D. *Delineatio Pharmaciae chemico-therapeuticae*. Lips. 1764.

^{o)} Christ. Alb. MAYERI Diss. de Tinct. antimon. tartaris. Altorf. 1728
Abrah. VATERI Diss. de Tincturae antimon. varia praeparatione
et. Wittemb. 1732. MEYDERI *Commentatio von den antim-
nial. Tincturen*, loc. cit.

p) *Commerce litter. Norimb. ann. 1731.* p. 133 Spec. XVII.

Tincturam ex atro rubentem, amaram, medicamentum ad febrem hæticam incomparabile habebit; de cuius efficacia aliquibus e numero excellentissimorum Medicorum nostrorum bene constat. Ante complures annos illam plus quam vigesies elaboravi: nunc autem, nescio quo fato? successus defitior. Post hanc promulgationem, varii Chemici allaborarunt, ut talem Thetoriam obtinerent, quod & exercitatiſſimo MODELIO ſuccedit, qui eius praeparationem quoque hunc in modum publice comunicauit: Sumantur optimi antimonii puluerisati viciae quatuor, in crucibulo puro recto leni igne fundantur, massæ nunc fluenti per vices iniciatur, vna, vel ſequi vicia nitri purissimi, ſiccissimi, in puluerem redacti, quauis autem vice, nitri portione iniecta, crucibulum rite obregatur, & si omnia nitrum inieatum eſt, tigillo recto per decem, aut quindecim horaē minuta in fluxu teneatur, post in mortarium purum, calidum, effundatur massa, quae erit atro-fusca vitrea, & eſt regulus antimonii medicinalis; ille nunc adhuc calidus, tereatur quam ſubtiliſſime, & liquoris nitri fixi ſaturatiſſimi viciae quatuor, vel plures, adfundantur, & bene muicem commixta in digeſtione mponantur. Si massa pulacea euadit, quaedam eius portio interdum in Spiritum vini immittatur, & exploretur, an Spiritus brunneo tingatur colore; hoc obſeruato, massa calida in alcohol Spiritus vini infundatur, & breuem post digeſtione, vnius horae ſpatio tinctura antimonii ex atro rubens obtinetur, de qua ipſe MODELVS ita iudicat, quod sit ſubtiliſſima ſolutio Kermes mineralis, vel pulu. Carthusianorum, e regulo antimonii medicinali facti, quam ſententiam hoc vno experimento, ſufficienter tamen, probat, quod e Tinctura Soli expoſita, puluis flaui ſcedat, qui eſt verum Kermes, & op̄e tubuli fusorii in carbone fusus, verum reguli globulum praebeat, qui, reſpectu assumti pulueris, nona vel decima eſſet pars;

q) Ioh. Geo. MODEL chymische Nebenſtunden. Petersb. 1762. p. 169. ſqq.

pars; Spiritus autem huic pulueri supernatans esset clarus pellucidus Spiritus vini tartarisatus. His omnino, in fidei tanti Viri, acquiescere potuissimus; quoniam vero simul notauit, hancce Tineturam, licet ad eius praeparationem omnia indicasset necessaria, saepius non obtineri, nos eam ipsam praeparauimus, & prima vice nobis hic labor optime successit; circa praeparationem ipsam pauca tantum adhuc obseruata notamus. I. Regulus talis antimonii medicinalis atro-fusci coloris, si teritur, obscure ruber euadit. II. Si cum liquore nitri fixi digeritur, massa intumescit, & adhuc magis rubra fit. Quo autem III. haec massa Spiritum vini tingat, ad certam vix satis determinandam consistentiam inspissanda est: nam si vel nimis aquosa, vel nimis spissa est, tunc eam spiritum non tingere obseruauimus, nisi aut inspissatione, aut noua addira aqua, ad iustam redacta fuerit spissitudinem. IV. Quod post extractionem cum Spiritu vini, residuum Tineturae pallidius, vel magis flauum euadat. Ratios autem modi praeparationis explicare nolumus, partim cum per se pateat, antimonium, cum tali quantitate nitri detonatum, in regulum quendam medicinalem, qui est hepar antimonii imperfectum, verti, & digestione cum liquore nitri fixi, Kermes minerale oriri, partim cum & totius operationis, & cuiusvis circumstantiae obseruandae explanationem ubiorem elegantissime iam dederit celeberr. GMELINVS r). Tineturam autem ipsam specialius nunc consideremus.

I) Ea est atro-fusca, quadammodo viridescens, consistentiae olei tenuis ad instar, saporis alcalino-amari, syrumpum Violarum viridem reddens.

II) Cum viciae vni Tineturae instillauerimus acidum Vitrioli,

D 3

Tin-

r) *Phil. Fr. GMELINI* Dissert. de Tineturis antimon. minus visitatis, vtcunque saluberrimis. Tubing. 1759. §. 7. sqq.

30 *De Antimonio variisque eius Tincturis*

Tinctura perturbabatur, & ingratum humi colorem acquirebat, paulo post autem, cum sensim sensimque sal albissimus fundum vasis petierat, liquor rursus albus, vix flauescens, evadebat, qui saporem amarum Tincturae proprium adhuc retinebat. Hic liquor a suo subsidente sale separatus, & leniter euaporatus, relinquebat salis intense citrini gr. vij. qui super candelae flammarum fusus, & calcinatus, verum erat subtilissimum sulphuris hepar. Sal autem albus praecipitatus ponderabat gr. xvij. qui fusus, hepar antimonii fistebat.

III) Si Tinctura accenditur, spiritu per deflagrationem abacto, remanet liquoris aquosus magis atro-viridis, & saporis concentratorius, respectu quantitatis assumtae Tincturae, quinta pars; idem evenit, si spiritus distillatione abstrahitur, tunc & quinta Tincturae pars remanet. Concentratus hic liquor aquosus, si inspissatur, relinquit salis grisei nigrescentis, saporis alcalino-sulphureo-amari, ex vncia una Tincturae drachmam vnam, qui aqua solitus, cum addito acido effervescebat, & paucas post horas praecipitata erant gr. xiv. Kermes mineralis.

IV. E Tincturae vncia una, Soli exposita, ad fundum descendunt Kermes mineralis gr. xvij. & Spiritus supernatans est alcalisatus, qui post euaporationem relinquit scrupulos duos.

Ex his perspicimus, Tincturam hancce quoque esse *bepaticam antimonii spirituosa*, sed eam ab antecedente Tinctura antimonii tartarisata differre, 1) quod plus Kermes mineralis, qui sulphuri aurato antimonii valde analogus est, huic Tincturae infit; 2) quod nullum principium causticum in ea reperiatur; 3) quod spiritus non sit decompositus, eiusque oleum non separatum; 4) quod Tinctura, licet ad eius praeparationem adhibitum fuerit alcohol, tamen admodum temperata, & fere semi-spirituosa evadat. Ex his differentiis diiudicari potest, an? & in quibus-

nam

nam casibus? haec praestantior sit antecedenti. Huius Tincturae vires quoque sunt resoluentes, aperitiuae, diaphoresin & diuresin promouentes, non autem stimulantes. Praestantiam huius Tincturae in morbis asthmaticis, pertinacissimis cutaneis & venereis, praeter alias complures Medicos, Petropoli quoque expertus est celeb. GMELIN s); has autem vires magis ab antimonialibus partibus, quam a menstruo dependere, facile perspicitur, & licet quantitas Kermes in una dosi Tincturae minor sit illa, quae exhibetur, si Kermes in substantia datur, attamen easdem, nisi maiores, illam exserere vires, experientia docet, huius autem caussam in subtilissima Kermes solutione positam esse putamus, qua fit, ut quaevis particula similaris agere & ad tenerrima subtilissima que vas penetrare possit. Similis tinctura quoque praeparari potest, si lixiuum Kermes mineralis, ad certam, circiter mellis, consistentiam inspissatum, cum alcohol Spiritus vini infunditur atque digeritur; sed haec praeparatio adhuc facilius saepiusque male succedit, quam illa antea indicata.

§. XV.

Tinctura antimonii saponata SCHWEZII.

Quoniam autem antiquiores iam Chemici cognoverant, menstrua oleosa magnam in sulphure soluendo habere virtutem, ii, qui sulphura metallorum extrahere allaborabant, his quoque, & non sine fructu, vtebantur, de qua re variis amplissime agunt, celeberr. autem POTT succincte proponit necessaria ^{a)}. Quare quoque ad sulphuris antimonii meliorem extractionem, & ad praestantiorum Tincturam, partibus antimonialibus magis impregnatam, obtinendam, menstrua oleosa varii laudant, iubentque hepar antimonii feruidum oleo destillato

^{a)} Vid. Dissert. citar. §. 20.

^{b)} In supra citata Dissert. de Sulphure metallor. §. 6.

lato infundere, & postea cum spiritu extrahere, vel spiritum cum variis oleis destillatis imbuere, & postea scoriis antimonii affundere. Tales autem Tincturas, licet iis suam non denegare velimus laudem, cum nobis nimis exaestuantes & commoventes videantur, nunc vterius disquirere nolumus, sed potius alias ex simili fundamento paratas, saponatas nimirum, consideremus, & primo quidem eam, quam celeb. SCHVLZIVS sequenti modo parare docet u): *Sapo Alicanticus aut Venetus in lixiuio alkalino summe saturato soluitur, coctione ad substantiam compatiorem rursus redigitur, quo factio in phialam immittitur, & cum affuso Spiritu vini tam diu digeritur, donec tinctura evaserit flauescens.* Haec deinde scoriis affunditur antimoniis, atque hinc saturatior extrahitur tinctura. Ex hac præparatione iam, fine viteriori disquisitione, perspici potest, qualis ea sit Tinctura, & quomodo a Tinctura antimoniī tartaria differat; attamen pauca, ad eius paulo clariorem diiudicationem, adducere non incongruum erit. Sumsimus Saponis veneti, & salis caustici acerriani vniciam semis, cum aqua coximus, & rursus inspissauimus, dimidiam huius massæ partem, vniciam nempe semis, infudimus atque digestimus cum alcohol vni, quod flauescens evasit; in fundo phialæ autem remansit sapo liquidus, syrapi consistentiae, qui, leniter exsiccatus, ponderabat drachmas duas. Spiritum hunc saponatum alteri nostri saponis dimidiae vnciae adfudimus, atque digestimus, quo factio iterum duæ drachmæ in forma liquida in fundo yasis remanserunt. Sic Spiritus vini vnciae quinque continent vniciam dimidiā huius saponis solutam. Cum hocce Spiritu, e scoriis antimoniī, eodem modo paratis, ut pro Tinctura antimoniī tartaria requiruntur, præparauimus Tincturam, quae

pel-

^{u)} Ioh. Henr. SCHVLZII Praelectiones in Dispensator. Borosso-Braunschweigicum. Edit. altera. Norimb. 1753. p. 634.

- 1) pellucidissimi aurei coloris est, consistentiae fere oleum aemulantis, saporis quadantenus acris, valde saponacei, balsamici, quae syrupum Violar. admodum pallide viridem reddit.
- 2) Si Tinctura aquae affunditur, statim albescit, & flocculi albi saponacei super aquam colliguntur, quae, instillato acido, in magma citrinum condensantur; liquore agitato odor putridus fortior percipitur, quam in praecipitatione residui Tincturae antimonii tartaristicae §. XIII. No. 2. Magma est saporis blandi, tamen specifici, in Spiritu vini soluitur, qui inde saporem ipsius Tincturae ex parte acquirit, ob eius exituam vero ulterius id disquirere non potuimus.
- 3) Vnciam vnam Tincturae, cum eadem aceti destillati quantitate saturauimus, vnde statim perturbatio oritur, sed postquam guttulae oleosae super liquor im coiuabant, liquor rursus clarescit, & albus pellucidusque euadit, oleum ipsum, quod scrupulos duos ponderabat, est aurei coloris; in aquam instillatum in buryro similem massam condensatur; in Spiritu vini soluitur; flammae admotum primo liquefit hoc magma, postea flammam ipsam concipit, quae ab initio cruda est, & ingentem fumum nauseosum empyreumaticum spargit, postea, quando fere totum deflagratione est absumentum, flamma tenerima coerulea euadit, sed fine sulphuris odore carbonem tenacissimum, resinae ad instar, relinquit, qui quoque ex parte in Spiritu vini soluitur. Tincturam acero saturatam, sub hoc oleo relictam, evaporauimus, & remanebat salis vnguinosi, tenacis drachma una, qui flammae admotus, primo cum odore empyreumatico spumescebat, postea fusus, erat sal fusti coloris, verum hepar antimonii; ex eo, addito acido, verum sulphur auratum antimonii obtineretur.

E

4.) Si

4) Si Tinctura cum acido vitrioli saturatur, non solum perturbatur, sed sal flauescens quoque secedit, ex quo vero, de novo addito acido, guttulae oleosae surgunt, & super liquorem colliguntur, sal autem fundum vasis occupans inde albisimus fit, & liquor parum flauescens. Oleum cum antecedente conuenit, nisi quod saturationis coloris sit. Ex vncia vna Tincturae scrupulos quinque olei separauimus; ut autem certi redderemur, an partes antimoniales in eo sint contentae, portionem quamdam cum lixiuio alcalino saturatissimo coximus; cum soluta fuerat, acidum instillauiimus, nullus autem odor putridus oriebatur, sed oleum rursus secedebat. Postquam vero aliam olei portionem cum sale tartari comiscuimus, post fusionem in igne verum hepar antimonii obtinuimus, ex quo quaedam grana sulphuris avari separauimus. Sal e Tinctura praecipitatus ponderabat gr. xij. qui fusus, adhuc quemdam sulphuris saporem exhibuit.

5) Spiritu a nostra Tinctura abstracto, remanet magma valde vnguinosum, cum antecedenti oleo condensato conueniens, nisi quod sal alcalinus ei adhuc erat admixtus, indeque erat sapo in aqua solubilis; hic cum sale tartari fusus quoque hepar sistit antimonii.

6) Per tempus quoddam asservata Tinctura depónit salem flauescensem in forma tenerrimarum crystallorum, nitro sifiliū, nimis autem parum erat, ut disquiri potuerit; Tinctura vero dein pallidior euadit.

Ex his perspicimus, quod haec Tinctura veras antimoniales partes continet, & quidem maiori in copia, quam Tinctura antimonii tartarisata; quod autem cum oleosis partibus arctissime sint coniunctae, & quod illa de reliquo ut sapo tenerissimus liquidus

dus consideranda sit, dum prius vncia vna spiritus saponati cir-
citer scrupulos duos saponis continebat, nunc autem ex eadem
quantitate Tincturae ultra scrupulos quinque obtinentur. Cum
autem hoc augmentum imprimis a subtili oleo vini ortum sit,
ideo hunc saponem sine dubio cum Starkeyano comparari, eas-
demque vires tam actuosa, in acido, austero, coagulo viscoso
resoluendo & corrigoendo, expectari posse, putamus; sed quan-
to maiores nostrae Tincturae, in morbis a tali cauſa ortis sint
vires, cum Sulphur antimonii simul sit coniunctum, quilibet
ipse dijudicare potest. Huius Tincturae vires vniuersales cum
antecedentium Tincturarum §. XII. & XIII. viribus quidem con-
ueniunt, cum quaevis sit resoluens, aperitiua, acidum immu-
tans; interim tamen multum a se inuicem differant, dum illae
sunt stimulantes & exſiccantes, haec autem humectans & rela-
xans, quam ob rem, pro diuersis subiectis, & pro diuersa ma-
teria ſoluenda, haec vel illa eligenda & exhibenda eſt.

§. XVI.

Tinctura antimonii ſaponata D. IACOBI.

Aliam ſaponatam tincturam celeberr. IACOBI ^{w)} parare
docet, hoc quidem modo: Lixiuum saturatissimum alcalinum
ſulphure antimonii bene imbutum, cum oleo quodam expreſſo
in ſaponem inſpiſſatur, qui, quo plane perfectus euadat ſapo,
per biduum cum alcohol digerendus eſt. Spiritu rurſus ab-
ſtracto, ſapo cum Tinctura acri, per abstractionem spiritus ad
dimidium redacta, ad eminentiam trium digitorum affuſa, per
horas aliquot probe teritur, poſtea in cucurbita per 24. horas
digeritur, tunc oritur tinctura per amoena, omnis acredinis ex-

E 2

pers,

w) Ioh. Chrift. IACOBI Tractat. de Sulph. aurato antimonii liquido,
in Actis Acad. Elect. Mogunt. Scientiar. vitium, queſ Erfor-
dae eſt, Tom. I. p. 231. ſqq.

36 *De Antimonio variisque eius Tincturis*

pers, dulcis, quae totam saponis portionem, vna cum sulphure antimonii aurato, solutam sifit, nullo in cucurbita residuo relicto. Ut autem cognosceremus, an & quomodo ab antecedenti differat, & quantum sulphuris antimonii in certa quantitate Tincturae sit contentum, eam quoque praeparauimus. In lixiuio caustico soluimus sulphuris aurati antimonii tertiae praecipitationis drachmas duas, tantumque olei amygdalarum addidimus, & affusa alia lixiuii portione, quo omne subigeretur oleum, ad plenariam fere inspissatissimum siccitatem. Puluis tunc remanens erat saponaceus, griseus, parum acris, sed valde nauseoso-sulphureus, & pondere accedebat ad sex drachmas & dimidię. Hunc puluerem cum alcohol digestimus, & spiritum abstraximus; qui quodammodo acris & subamarus erat, syrumpumque Violarum viridem reddebat. Puluis saponatus residuus erat tectus magmate flavo, illi simili, quod ex Tinctura acri obtinuimus, hac saltem differentia, quod hoc esset paullo pallidius & fere albicans. In aqua solutum lactescet, & in spiritu vini facilis soluebatur, qui inde separem, ut mihiorem, Tincturae acris acquirebat, pondusque huius imaginatis referebat gr. 45. Sub eo sapo sulphureus non erat mutatus, nisi quod totus albicans nunc erat. Saponem & magna dein bene iniucem comiscuimus, & exsiccauimus usque ad consistentiam saponis communis, posteaque dimidię eius partem cum tribus vniis Tincturae aeris, per abstractionem spiritus ad dimidium redactae, sensim sentimque affulsi, per duas horas bene triuimus, & in digestionem posuimus. Quum vero deprehenderemus, non omnem solui saponem, adhuc vncias duas Tincturae acris sic concentratae affudimus, ita, ut planè solueretur. Ex hac praeparatione cognoscimus, quasnam partes, & quantum de singulis, haec Tinctura continet. Supra §. XIII. No. 2. vidimus, Tincturam acrem in quinque

quinque vnciis dimidiā vnciam magmatis continere; cum autem hae quinque vnciae, ad hanc Tineturam praeparandam adhibitae, ex decem vnciis sint concentratae, primo vnciam vnam supra dicti magmatis continent, porro circiter drachmas tres & dimidiā saponis, in quo drachma vna sulphuris aurati contenta est. Sic Tineturā est coloris fusco-rubri oleosi, spissioris consistentiae quam antecedens, saporis blandi, amari, valde oleosi; de reliquo per annia experimenta cum illa conuenit, nisi quod haec concentratior sit, quare & merito eadem & adhuc auctiores vires ab ea sunt expectandae, eiusque effectus egregios ipse expertus est celeberr. IACOBI in leproso, omnibus aliis optimis medicamentis frustra antea exhibitis. Huic tincturae similem iam olim, licet non fuerit descripta, tamen praeparatam fuisse, perspeximus ex manuscriptis a celeb. HUNDERTMARK relictis, cuius Tinctura, ab eo quam maxime laudata, & pro arcano habita, in eo tantum a nostra nunc examinata differt, quod sali caustico sulphurato multo minor olei quantitas addatur, quam in illa, & inde nullus oriatur verus sapo, & Tinctura non blanda, sed summe caustica evadat. Ast id de Tincturis saponatis, imprimis de illa IACOBI, adhuc annotare debemus, quod vix per mensēm incorruptae manent, sed rancorem facile acquirant. Hanc ob caussam, & cum maximae vires magis menstruo saponato, quam sulphuri antimoniī, quod cum partibus oleosif saponaceis nimis intricatum & inuolutum est, adscribendae videantur, adhuc simpliōrem quamdam, quae, tamquam Tinctura antimoniī considerata, optima nobis videtur, nunc contemplabimur.

§. XVII.

Tinctura antimonii genuina MANGOLDI.

Tinctura antimonii genuina dicta, a celeberr. MANGOLDO ^{x)} describitur & ita praeparatur, dum vncia dimidia sulphuris aurati antimonii cum quatuor vnciis Tincturae salis caustici, vel antimonii acris, infunditur, & per septimanam digeritur, in fine augendo ignem ad lenem usque ebullitionem, qua facta per filtrum traicitur Tinctura. Hanc ergo nunc attentius consideremus, & necessaria annotemus, quum ipse celeberr. MANGOLDVS referat, se eam, ob varia impedimenta, examinare non potuisse. Sumsimus itaque vnciam dimidiad sulphuris aurati antimonii tertiae praecipitationis, in tenerimum puluerem redacti, hisque affudimus vncias quatuor Tincturae antimonii acris, & vase bene clauso per octo dies in digestione reliquimus, saepeque vas agitauimus. Primis diebus sulphuris aurantius color pallidior evasit, & Tinctura rubicundior spissiorque, postea tandem aequa sulphur, ac tinctura ipsa, plane fusca apparuerunt, & ita manserunt. Tincturam per filtrum transmisimus, & antequam eam examinavimus, residuum eiusdem, vel sulphur non solutum, disquisivimus, quod exsiccatum ponderabat drachmas quinque, adeoque loco imminutionis, ponderis augmentum coepit; ex eius autem sapore, & ex Tinctura amissa caustitate, conclusimus, augmentum hoc a sale, e Tinctura separato, ortum fuisse, quamobrem hoc sulphur cum aqua calida bene eluitus & per filtrum separauimus, in quo remanserunt drachmae duae & dimidia sulphuris aurati exsiccati ruberrimi. Lixiuio autem per filtrum transmiso affudimus acjdum Vi trioli,

^{x)} Christ. Andr. MANGOLD chymische Erfahrungen und Vortheile: Franckf. und Leipz. 1749. p. 49. sqq.

troli, quo omne ex eo praecepitaretur sulphur, quod denuo ablutum & exsiccatum pondere aquabat drachnam dimidiam, pauloque magis flauescens aurantii erat coloris. Ex his videmus, drachmas duas falsis caustici e Tinctura antimonii acri secessisse, & sulphuri residuo adhaesisse, drachmam autem unam sulphuris aurati in Tinctura esse solutam. Haec fatis probare videntur, quod haec Tinctura vera antimoniana dici mereatur, id quod etiam confirmatur, dum Tinctura per filtrum trajecta coloris erat rubri saturissimi, saporis grati, subamarri, balsamici, sulphurei, non nauseosi, omni acredine plane destituti, & syrapi Violarum colorem non immutabat. Quo autem naturam nostrae Tincturae rite cognosceremus, eam adhuc ulterius quadantenus examinavimus.

- 1) Tinctura in aquam infusa primo formauit strias oleosas rubras, quae autem dein statim cum ea commiscebantur.
- 2) Tinctura a spiritu Vitrioli instillato nullo modo mutatur, nihilque inde praecipitur.
- 3) Postquam a Tincturae huius vnciis tribus spiritum abstraximus, remanserunt liquoris spissi, fusi, drachmae duas, nullo modo acris, sed saporis amari balsamici, qui in Spiritu vi ni facillime rursus soluebatur, & cuius guttula j. aliquas spiritus drachmas tingebat, solutionem in aqua quoque non recusabat, & in fatis magna copia se diffundebat.
- 4) Residuum Tincturae flamme admotum, eam non concipiebat, sed saltet spiritus, qui adhuc ex parte erat admixtus; sine vlo etiam sulphuris odore exsiccabatur, & remanebat terra mortua, quae cum alcali & phlogisto fusa nil reguli monstrabat.

5) Cum

- 5) Cum sale Tartari comixtum & fusum illud residuum, aliqualem tantum hepatis sulphuris saporem habet, & addito acido leuissimus, vix perceptibilis, odor sulphureus oritur.
- 6) Aliam residui partem cum mercurio sublimato bene commiscimus, & sublimatione tentauimus, an sulphur antimonii ita detergi possit? sed nil nisi mercurius corrosiuus, nullo modo mutatus, post aliquot guttulas acidulas prius prodeuentes, sublimatus fuit, in quo duae striae tenuissimae flavae tantum erant conspicienda; in fundo retortae autem remansit terra mortua, similis illi, quam No. 4. indicauimus.

Licet autem haec experimenta probent, vix quicquam sulphuris antimonii e nostra Tinctura elici posse, tamen de eius praesentia non dubitandum est, cum sulphur auratum, ad Tincturam praeparandam assumptum, quantitate imminutum fuerit, & Tinctura, licet duae drachmae salis caustici secesserint, tamen saturatior spissiorque evaserit, simulque distinctissimum sulphureo-amaro-balsamicum saporem acquisuerit; quod autem hoc sulphur solutum non vulgare sit, ex eo concludimus, quia longe diuersam obtinuimus Tincturam, cum sulphur commune cum Tinctura eodem modo digestioni exposuimus, siquidem illa quodammodo viridescentis erat coloris, & saporem sulphureum nauseosum simulque acrem monstrabat, ut de aliis differentiis non dicamus. Vnde autem euenniat, quod sulphur e nostra Tinctura vix rursus separari possit, certo quidem determinare non possumus, attamen ob sulphuris maximam subtilitatem, & arctam cum oleo vini connectionem, vix unum ab altero, sine eorum destructione, separari posse arbitramur. Cum autem sulphur in nostra Tinctura cum subtilissimo blandoque oleo vini sit solutum, eam ut balsum sulphuris antimonii esse considerandam, putamus, in eo tamen

tamen ab aliis sulphuris balsamis diuersam, quod nec acris & exactuans, nec nauseosa sit. Ex hac nunc idea ad eius vires, quae per experientiam nondum sunt confirmatae, concludere quidem possemus, sed certiore via progredimur, quum haec nostra Tinctura cum qualitatibus Tincturae antimonii genuinae VATERI in omnibus conueniat, & sine dubio eadem fit, si illustris huius Viri diudicationem apponimus, & ex his nostram aestimamus. Postquam enim celeberr. VATERVS ^y) dixit, Tincturam suam continere sulphur antimonii fixatum purissimum, quod per singulare menstruum & diu continuatam digestionem sit apertum, & in spiritu vini solubile factum, simulque alias quasdam eius qualitates indicavit, ita pergit: *Vnica huius Tincturae uncia plus sulphuris complectitur, quam aliarum hactenus vijarum integra libra. Mole exiguum sulphur extractum videtur, si cum spiritu soluente comparatur, sed immense se diffundit, ita ut minima eius particula insignem liquoris quantitatem tingat. Quis itaque dubitabit, sulphur, intro sumptum, ac circulo sanguinis vitali circumactum, eadem mobilitate corpus peruadere, ad abditos vasorum recessus penetrare, humores stagnantes promouere, obstrunctiones reservare, & sic plurimis malis mederi posse?* Quod autem haec praesumtio non vana sit, variis specialioribus notatu dignissimis exemplis adductis confirmavit, ex quibus adpareret, quod complures pestissimi morbi, venerei, scabiosi, ulcerosi, spasmodici, arthritici, aliisque per usum huius Tincturae curati fuerint ^{z)}. Quare non dubitamus, prudentem Medicum,

^{y)} Abrah. VATERI Dissert. de Tincturae antimonii varia præparatione. Wittenberg. 1732. p. 20.

^{z)} Videatur etiam Eius Programma, quo Tincturae antimonii, auctoritate inuentae, virtutem & efficaciam in cura morborum re-

cum, Tincturam celeberr. MANGOLDI (quae quoque pro lubitu, abstractione spiritus, concentrari potest,) in praxi adhibentem, similes effectus fore obseruaturum.

§. XVIII.

Conclusio.

Generalioribus iis consideratis, quae de natura & viribus antimonii, & quarumdam eius Tincturarum cum alcalinis menstruis praeparatarum, ad Medicinam spectant, finem nunc imponimus, cum si de omnibus pro dignitate rerum agere vellemus, limites Dissertationis nimium transgrediremur. Sufficiat, quod ex his cognoscamus, eas praestantia omnino esse medicamenta, insimul vero, licet in suis viribus variis annibus conueniant, maxime a se inuicem esse distinguendas, & minime promiscue exhiberi posse, ex quo & illa veritas sequitur, necesse omnino esse, ut Medentes plenariam medicamentorum cognitionem habeant; ad hanc autem acquirendam, scientiam chemicam absolute requiri, omnes facile lari-
giures fore, nulli dubitamus.

bellum duobus singularibus exemplis confirmat, Dissertationi de Pilo parte corporis non ignobili, Wittenberg. 1749. sub Praefatio LANGGVTHII ventilatae, annexum.

T A N T V M .

Corrigenda.

Pag. 16. lin. 14. deleatur f), & lin. ultima pro g) ponatur f).



VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO
AMICO DULCISSIMO
D. LAVATTERO
MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

H. B L V H M

MED. STUDIOS.

*N*olui ego in hac communi omnium gratulatione TIBI, LA-
 VATTERE carissime, officio deesse, quamquam mibi me nullo
 modo satisfacturum esse praenideam. Quodsi enim animo re-
 peto vitam, quam tecum per bosce duos annos vixi, utilem,
 suauem, iucundam; quodsi recordor tui in me amoris innume-
 ra grauissimaque documenta; quodsi tandem mecum confidero
 animi tui candorem, constantiam, ingenii ac doctrinae praef-
 stantiam; ea quidem omnia animo occurrunt, quae ego ne
 hoc quidem temporis spatio satis admirari potui. Quae nunc
 iure quidem meo vereor, qui mibi neque ingenii, neque eloquen-
 tiae laudem ullo modo arrogare possim, quae essent tamen a me
 digna praedicanda oratione, ne eadem commemorando plus
 comminuam, quam illustrem. Sed cum ut a TVA voluntate,
 sic & a mea ratione plane aliena sit laudum TVORVM commemo-
 ratio; hoc unum, quod te mibi arctissime iunxit, insignem
 animi candorem, tacitus praeterire nolui. Contigit enim sae-
 pe, tecum, AMICISSIME LAVATTERE, iis interesse, qui facile
 possent animum in summum levitatis periculum adducere; sed
 idem TIBI semper constituit animi candor veritasque, ut non
odium



odium, sed amorem potius omnium peperisse, videatur. Hic can-
 dor, haec animi constantia & meum quoque animum TIBI ita
 obstrinxit, ut mibi non amplius integrum esse videatur, quo
 in TE sim affectus animo, sed tecum artissimo vinculo coniun-
 ctus, TVOS honores meos censeo, TVA gaudia mibi maximam
 partem vindico. Hoc quoque animo TIBI summos in arte me-
 dica honores gratulor, quos digna quidem doctrina TVA ac
 diligentia praemia iudico, sed animi vota nondum explent,
 quid? quod pleni inuidiae sunt, cum te mibi eripiant DVL-
 CISSIME LAVATTERE! quocum ziuere, quocum mori amem.
 Estne vero ullus, qui TVI possit desiderio satisfacere? O! misera
 ra hominum conditio, qui, in qua re maximam vitae felici-
 tatem ponimus & eam fluxam atque fragilem esse experimur.
 Et si itaque ne vota quidem omnino satisfacere videantur TVI
 desiderio; tamen veluti, qui in summo rerum periculo versan-
 tur ne leuissima quidem auxilia spernere solent, sic & ego his
 nunc inhaerem. Seruet te Deus per longam annorum seriem
 saluum & incolunem, quo diu Patriae inseruire possis, Paren-
 tibus cognatisque & mibi venerandis esso ornamento, solatio;
 reipublicae litterariae decori; amicis voluptati memoriaeque
 sempiternae illustri monumento. TVIS olim utare amicis, qua-
 lem te cognoui, i.e. veris ac candidis. Eam TIBI iungat fors
 amica sociam, quae corporis venustate ac gratia aequet animi
 virtutibus, mentis ingenique praestantiae. Is tandem sit
 TVVS in me semper animus, quo hactenus fuisti, TIBI que
 certo persuadeas, ne ullius quidem temporis memoriam ex
 animo meo deleturam esse tam cari amici
 imaginem. Vale.



halle, Diss., 1766-67

ULB Halle
002 057 565

3



St

Retrov

B.I.G.



DISSESSATIO INAVGURALIS CHEMICO-MEDICA
DE
ANTIMONIO
VARIISQUE EIVS TINCTVRIS
CVM ALCALINIS MENSTRVIS FACTIS
1767 15

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICHS
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
ET
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PUEL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. H. T. DECANO, SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS
D. XVIII. APRIL. A. R. S. CLOCC LXVII.
PVBLICO SISTET EXAMINI
DIETHELMVS LAVATTERVS
THVRICENSIS HELVETVS.

HALAE MAGDEBURG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVÆ.